

Icarios melius quin et molita volatus
Mors furit in gentes tramite praecipiti.
Ergo quis valeat praeruptae dicere vitae,
Et cumulum et numerum quis numerare potens ?
Dicatne incassum quis quot fervente iuventa
Corruerint ? Uni victima nota Tibi !
Interea viduae plorant sua pignora matres,
Et sine patre nepos, et sine gente senex.
Usque Pater, pateris ? Nec Te movet ulla precantum
Vox ? Non gens quae ambit conscia templa tua ?
Ah fateor moerens vultuque rubore notato :
Criminibus nostris poena luenda datur.
Si qua tamen pietas aut puri gratia cordis
Usquam inventa Tibi, desinis esse minax :
Et segregem prolem iam non iaculatus in ulnas
Amplexus teneras incipis esse Pater !
En tibi pro nobis geminas ad sidera tollit
Palmas corde, habitu Dux gregis innocuus !
En puri iuvenes puraque in veste puellae
Suave Tibi praebent in sua corda locum.
En tandem amotis tenebris pravoque reductis
Tramite dux unus Tu, hostia, noster eris !
Tu rex noster eris ; semper tua iussa sequemur.
Tu, ceu sol orbem, frigida corda foves !
Per Te, Christe, novo gentes religantor amore !
Odia diffugiant, Te redeunte, Pater.
Auspicium felix ! Infans quum nasceris orbe
Pax canitur terris vocibus angelicis.
Oh redeat tandem pax suspirata per orbem,
Nascere, pax terris : nascere, pax animis !

M. C.

Ex-Ador. Sac. Coëtu.